

Hermann Becker

**Rectore Academiae Magnificentissimo, Serenissimo Principe Et Domino, Domino  
Friderico, Duce Megapolitano ... Festvm Natalitivm Dvlcissimi Nostri Salvatoris  
Pie Celebrandvm Pro Officii Ratione Commendans De Donis Natalitiis Svb  
Denominatione derer Angebinden Consvetis Pavcis**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1752?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876605897>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1752 Weihn.

~~M-1256.~~ 319.

Weschn. 1752.

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE  
ET DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO,**  
DVCE MEGAPOLITANO,  
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI AC RACEBVRGI, COMITE  
SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII  
ATQVE STARGARDIAE DOMINO,  
PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

**FESTVM NATALITIVM**  
**DVLCISSIMI NOSTRI SALVATORIS**  
PIE CELEBRANDVM


PRO OFFICII RATIONE  
COMMENDANS

DE DONIS NATALITIIS SVB DENOMINATIONE  
*derer Angebunden*  
CONSVETIS

PAVCIS DISSERTIT

**HERMANNVS BECKER,**

LL. D. ET INST. P. P. O. SENAT.  
ACADEMIAE P. T. PRO-RECTOR.



ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

*M. 1256. 319.*



**L**iberalitatum omnia, ac donationum genera, quo etiam vnquam, donorum, munerum, strenarum, charitatiuorum subsidiorum, aut alio forsitan nomine veniant, semper tamen propensum erga eum, in quem transferuntur animum, ac veram mentis benignitatem praesupponunt, et tanquam actus munificentiae, ac virtutis coactionem respuunt, nec media compellendi externa admittunt. Immo non manent verae donationes et liberalitates, quoties causa quaedam externa obligationem imponens, et voluntas determinata per motiua ex alterius arbitrio pendentia, rationem huius negotii vnicam et veram continet. Virtus enim non manet, quae cogitur. Corroborant hasce vniuersales veritates ipsae LL. positivae, ab iis latae, quibus ius est dirigendi actiones ciuium ad communem salutem, et securitatem. conf. hic merentur L. 3. C. de donat. quae sub modo. L. 1. pr. D. de donat. L. 29. D. eod. L. 82 D. de reg. iur. Licet enim donorum ac munerum differentiam sistere videatur IC T. Rom. Marcianus in L. 214. D. de verb. signif. sequentem, munera quia necessitatem quandam

dam praesupponunt, dona contra ea sponte fiunt; lex tamen semper ex lege explicanda manet, et Marcianum Vlpianus interpretatur in L. 194. eod. qui donum et munus, genus et speciem vocat. Nil enim impedit, quo minus donatio, quae in se, et generice considerata, liberalitatem sponte praestitam inuoluit, certo quodam respectu ideam necessitatis adsumat, et obligationem quandam perfectam certa ratione coniunctam habeat. L. 26. §. 12. D. de condict. indeb. Nam quamuis etiam obligatio coactioni subiecta cohaereat nonnumquam donationi eiusmodi, donaque talia legibus comprehendantur externis, modus tamen, locus, tempus, quantitas, qualitas, aliaeque circumstantiae circa ea occurrentes, libero donantis arbitrio relictae, liberalitatem non omnem excludunt, sed ad exemplum dotis, cuius ad praestationem cogi quis potest, L. 19. D. de rit. nupt. et tamen liberalitas dicitur. L. vlt. C. de dot. promiss. nihilominus verae manent liberalitates, verae manentiae genera. Traetat hanc materiam pro more suo, i. e. solide ac eleganter Illustr. Leyser, in medit. ad D. spec. 435. Spectant huc varia exempla in omnibus legitimae scientiae partibus quotidie obuia. Et in specie de subsidiis charitatiuis, quod satis est hoc docent, ac quod naturam iam tributorum ordinariorum sub donationis necessariae nomine acceperint, optima cum ratione contendunt Rhetius de Orbeda, et Thomafius de nat. prec. iuridic. Immo aut fallor egregie, aut in hunc quoque numerum referenda manent subsidia charitatiua summo imperanti in Germania a nobilibus immediatis soluenda. Nec minus hunc in censum veniunt omnes actus liberalitatis a ciuibus ob causam quandam ratione conformi peragi soliti, quos quoad originem, naturam, ac iura et effectus sub denominatione donationum, quae fiunt ob mores, docte et erudite expositos nobis sistit diss. Burgmanno-Weberiana sub rubro speciali hic Rostoch. anno 1735. habita. Semper itaque, licet diverso nonnumquam et respectu, et effectu, nobis concipere possumus et dona, et munera necessaria, quoties aut lex, aut inueterata consuetudo, aut obseruantia, nobis obligationem imponit donandi perfectam, in arbitrio tamen nostro positum relinquit

linquit modum, tempus, qualitatem, et quantitatem. Varium in finem tendunt eiusmodi donationes necessariae, et innumera fere eorum exempla multiplici ex ratione, et dispari plane ex fundamento oriuntur, hinc respectu semper habito ad finem et originem diiudicanda sunt, quoties de earum iustitia ac iniustitia, vsu atque abusu, tolerantia aut abolitione oritur quaestio. Mox enim propter exemptionem a iure alias obtinente; mox in signum et recognitionem iuris hucusque competentis; mox iterum in remunerationem beneficiorum in nos collatorum introducuntur, fiunt, ac fieri debent. Mox animum gratum ostendunt erga benefactorem; mox verum nobis sistunt amicum, ex nostris voluptatibus et perfectionibus voluptatem percipientem; mox remunerationem continent officii, ab altero praestiti; mox venerationem, et pietatem alteri debitam declarare student, et quae sunt eiusdem generis plures rationes. Meditemur modo munera imperantibus dari solita, nuptialia, sponsalitia largitatem, pecuniam lustricam, et quae sunt plura in diss. Burgmanno-Weberiana supra iam laudata satis iam exposita. Omnia hic exponere, et dicta iterum dicere, nec tempus, nec scopus mihi propositus permittit. Vnicum solum adlegabo exemplum, quod mihi, verum, nostri immortalis ac omnipotentis, et tamen clementissimi et benignissimi saluatoris, natalium cultum pro officii ratione CIVIBVS ACADEMIAE HONORATISSIMIS commendaturo, in mentem recurrit, seiusque in denominationis rationem, et verum finem binis inquirere, a scopo mihi proposito haut plane alienum iudico. Occurrit nempe in vita quotidiana vox des *Angebundes*, quod donum seu munus significat, tempore natalium amici aut fautoris anniuersario ex consuetudine tradi solitum. Vnde etiam descendunt verba consueta *einen anbinden, angebunden, ich habe ihn angebunden, et q. s. r.* Praecipue in Saxoniam superiori morem hunc obseruatum deprehendi, quo in die natalitio ligamentis ac fasciis diuersiculis brachia eorum, qui celebrant anniuersarium natalium diem, ligant atque exornant, et sic iunctis votis et gratulatione fausta ac felicia adprecantur, quod vocant *einen binden, anbinden*. Immo et missis per nuncium eius.

eiusmodi fasciis natalem eius celebrant voto. In primam huius denominationis originem inquirens, et me, sicuti communia antiquitatum scrutatoribus volunt fata, non nisi praesumptiones, et incerta adducere posse, libens lubensque concedo, qui in genere argumenta etymologica, et exinde deducta confectaria, paucis iurisprudentiae partibus exceptis, parum ut plurimum curo. Solemnium interim munerum, parentibus cognatisque mittendorum, mentionem iam facit Paulus Ictus L. 12, §. 3. D. de administr. et peric. tut. Qualia speciem fuisse donationis necessariae corroborat argt. ex L. adl. ductum, quia tutori soli ea committuntur, qui alias ex re pupilli donare non potest, sicuti etiam fatis iam docent ipsissima verba in L. adl. mox sequentia: *nam etsi honeste, ex liberalitate tamen fit, quae servanda arbitrio pupilli est,* ut reliqua maxime notoria omittam. Quando autem haec solemnium munera cognatis atque parentibus praestanda fuissent, non quidem in L. adl. determinatum inuenitur, licet vox solemnium munerum hoc quodammodo indicare videatur. Sed nullus dubito, quin de muneribus die natalitio Romanis solitis ea explicem. Ita enim L. 31. §. 8. de donat. inter vir. atque vxor: quae alias prohibet, et inualidas declarat donationes inter coniuges, exceptionem tamen facit, si vir vxori kalendis Martiis, vndenam initium anni computabant Romani, aut natali die dedisset, quam donationem validam, licet forsitan quoque immodica fit, et munus vocat, interprete Pomponio Icto. Hinc et Godofredus in marginalibus ad L. 12. §. 3. adl. ita haec verba explicat: *solemnium munera haec quaenam consentur? Ne dicas nuptialia, quippe nuptialia munera, ut non necessaria, mittere prohibetur: L. 13. in f. D. eod. Quid igitur? quae illa fuerunt? Solemnium ex Varrone, Festo, Servio interpretamur, quae ex more recepto cognati inuicem natali cuiusque die missitabant. Cara cognationis munera vocat Tertullianus in libro de idololatria. Adde Martialem. 9. epigr. 54. 55. 56. Sic et munerum ac donorum natalitiorum, a nuptialibus diuerforum, mentionem facit Vlpianus in L. 194. D. de verb. signif. Aut fallor itaque, aut firmissimo ex locis adlegatis stat talo, iam Romanis donationes necessarias, in signum testandi intimi amo-*

\* 3

ris



ris et adfectus, quouis natali die consueta fuisse, penesque eos iam ex obligatione quodammodo perfecta obtinuisse. Sicuti itaque in mittendis recens natis infantibus donis et muneribus mores Romanorum gratulationis et testandi purioris adfectus causa imitabantur primi christiani, docente illustr. Bohmero, Antec. quondam Hallens. Famigerat. in iur. eccl. protest, L. 3. tit. 42. §. 44. ita et eos mores illorum in donandis antea adductis anniuersariis natalitiis muneribus imitatos fuisse, persuasum habeo, ad testandum eundem puriorem amorem. Quem usum vnio inter membra ecclesiae per baptismum in fide in Christum arctius vnita, probabiliter seruabat. Corroborat adductam meam sententiam analogum illud, quod haecce munera intercedit et pecuniam lustricam, cuius originem ex moribus Romanorum eadem ratione optime, et non sine fructu ac adplicatione in coetera principia iuridica deducit Celeb Bohmerus l. c. contra Thomassium de hypoth. tacita propter pecuniam lustricam, et Tenzelium de restricta liberor. disp. circa pecuniam lustricam, disserens: Quia itaque primitiui christiani in signum infucati amoris et sobrii adfectus propter vnionem in Christo, quia propter intimiorem cognationis nexum praestare solebant haecce munera, quia per eam tesseras indigitabant gratulationum ac precum propter recordationem foederis baptismalis, quouis natalitio die renouandi, soluendarum; et eandem quoque in hisce donis reseruabant denominationem, quae alias ipsis donis lustricis propria erat. Iam autem quia Germanis munus lustricum, per consuetudinem ipsis cunis imponendum, denen in Windeln liegenden Kinder unmittelbar auf der Wiege gelegeet wurde, vocari solet das Eingebind, das Angebind, etiam exinde similis denominatio horum donorum natalitiorum descendebat. Licet enim Illustr. Bohmer l. c. hanc denominationem pecuniae lustricae deducere cupiat aut a scheda, qua inuoluta tradebantur, von dem Zettul, darinnen das Pathen-Geschencf eingebunden war; aut a consuetudine praetensa, quasi infanti adligatum fuisset donum, weisen es dem Kinde angebunden worden: vtramque sententiam tamen, quare simpliciter meam faciam, nondum perspicio. Schedulas enim illas patrinorum, quae

quae cum adhortationibus scriptis, dona illa continere solent, nouioris esse aetatis, nec semper nec ut plurimum obtinuisse, exinde colligo, quia in antiquis scriptoribus eorum antiquitatem corroboratam nondum inuenire mihi licuit. Multo minus de adligatione infanti facta, aut fieri solita ex iis constat. Sed pronior, ac intentioni donantium magis conformior mihi videtur etymologia, quae exinde deducitur, *weil es im Gebinde, am Gebinde, an die Bindeln gegeben worden.* Nomina enim *der Bindeln* et *derer Binden* promiscue non solum vsurpant Saxones superiores, sed et ipsa nostra Saxonia inferior synomina fere habet *inwinnen, inbinnen, inbünicken.* Nec fugit eum, qui dialectum Saxonum in superiori Germaniae parte curat, saepe numero, immo fere semper pergenium provinciae verbis simplicibus superfluum syllabam *Ge* praeponi. Sic enim v. c. quod hic terrarum dicitur *Wand, Wandmacher,* ibi pronunciat *Gewand, Gewaudmacher,* et sic porro. Eodem modo et vox in *Binden* seyn illis mutatur in *Gebinden seyn, Binde, Gebinde.* Hinc nullus dubito, quin voces *Eingebinde, Angebinde* significare debeat *was in das Gebinde, in denen Bindeln, am Gebinde, an die Bindel geschentet worden,* et quia saepe continens dicitur pro re contenta, donationem illi datam, qui in fasciis et incunabulis deprehenditur. Ad magis explicandam haec ratio denominationis, immo magis corroborandam thesin facit, ab *Illustr. Bohmero* l. c. de pecunia lustrica, eiusque iuribus propositam et defensam, quem tamen finem pro praesenti non curo. Sed in mentem mihi haecce scribenti potius reuocatur vera ac infucata pietas et gratiarum actio in die natalitio dulcissimo generis humani redemptori loco donorum et munerum soluenda, quippe qui haut opus habet externis bonis, sed officia pietatis exigit, obedientiam ac fiduciam illimitatam erga Deum, aut sicuti verba Dauidis sonant, *der Gefallen hat an denen die ihn fürchten, und auf seine Güte hoffen.* Fiunt enim donationes eiusmodi in diebus natalibus, porriguntur haecce muna, in tesseram intimi et singularis adfectus. Testantur singularem amorem, pietatem, reuerentiam et gratissimum propter beneficia accepta animum, erga eum cui traduntur. Quem autem


autem CIVES OPTIMI! maiorem habemus benefactorem, cui debemus maiorem pietatem ac reuerentiam, quiue magis singularem in nobis producere valet adfectum, quam saluator totius generis humani dulcissimus, omnipotentis Dei filius, Christus, qui vt, secundum immensae diuinae clementiae decretum aeternum, sacrificium pro nostris peccatis sese ipsum porrigeret, offerret, et genus humanum redimeret, humanam inducit naturam, et fratrem nostrum sese sistit in hisce saeculis. Cuius itaque natalia maiori cum laetitia recordemur, quam huius nostri redemptoris, intercessoris, amici, immo et fratris. Adest anniuersarium illud festum, quod in piam huius diuinae beneuolentiae et gratiae recordationem iam prima instituit Christianorum ecclesia, et obseruantia, ne dicam officium ecclesiasticum, adhuc hodie seruat. Obligat itaque et amoret adfectus recordatione horum felicissimorum natalium excitatus actus et internos et externos reuerentiam, pietatem, timorem, gratum animum, obedientiam et obsequium erga summum numen testantes, cum debita celebratione nominis diuini coniunctos. Optima et exoptissima haec sunt munera illi, qui omnium rerum dominus aliis haut indiget. Pro officii itaque ratione *Vos C. A. H.* ad pie ac deuote celebrandos hos festos dies natales adhortaturus, verbis Gerhardi iam alias a me adlegati haec meditationes claudio: *"Si Abraham gauisus est, cum diem domini videret, et in specie humana, ad tempus adsumta, dominus ipsi adpareret; quid nobis faciendum erit, cum iam naturam nostram perpetuo et indissolubili sibi foedere iunxerit? Miremur summa pietate, et veneremur debito cultu, immensam dei bonitatem, qui cum ad ipsum nos ascendere non poteramus, ipse ad nos descendere voluit.*  
**VT SIC ET IN NOBIS FVLGEANT INCY-  
NABVLA CHRISTI.**

---

P. P.


**SVB SIGILL. ACAD.**

D. 25 DEC, A. O. R. MDCCLII.





quae cum adhortationibus scriptis, dona illa continere solent, nouioris esse aetatis, nec semper nec ut plurimum obtinuisse, exinde colligo, quia in antiquis scriptoribus eorum antiquitatem corroboratam nondum inuenire mihi licuit. Multo minus de adligatione infanti facta, aut fieri solita ex iis constat, Sed pronior, ac intentioni donantium magis conformior mihi videtur etymologia, quae exinde deducitur, *weist es im Gebinde, am Gebinde, an die Bindeln gegeben worden.* Nomina enim *derer Bindeln* et *derer Binden* promiscue non solum vsurpant Saxones superiores, sed et ipsa nostra Saxonia inferior synonyma fere habet *inwinnen, inbinnen, inbunnicken.* Nec fugit eum, qui dialectum Saxonum in superiori Germaniae parte curat, saepe numero, immo fere semper per genium prouinciae uerbis simplicibus superfluum syllabam *Ge* praeponi. Sic enim v. c. quod hic terrarum dicitur *Wand, Wandmacher*, ibi pronunciat *Gewand, Gewaudmacher*, et sic porro. Eodem modo et vox in *Binden* seyn illis mutatur in *Gebinden seyn, Binde, Gebinde.* Hinc nullus dubito, quin uoces *Eingebinde, Angebinde* significare debeat *was in das Gebinde, in denen Bindeln, am Gebinde, an die Bindel geschencet worden,* et quia saepe continens dicitur pro re contenta, donationem illi datam, qui in fasciis et incunabulis deprehenditur. Ad magis explicandam haec ratio denominationis, immo magis corroborandam thesin facit, ab *Mustr. Rohmero l. c. de pecunia lustrica, eiusque iuribus* propositam et defensam, quem tamen finem pro praesenti non curo. Sed in mentem mihi haecce scribenti potius reuocatur uera ac infucata pietas et gratiarum actio in die natalitio dulcissimo generis humani redemptori loco donorum et munerum soluenda, quippe qui haut opus habet externis bonis, sed officia pietatis exigit, obedientiam ac fiduciam illimitatam erga Deum, aut sicuti uerba Dauidis sonant, *der Gefallen hat an denen die ihn fürchten, und auf seine Güte hoffen.* Fiunt enim donationes eiusmodi in diebus natalibus, porriguntur haecce munerera, in tesseram intimi et singularis adfectus. Testantur singularem amorem, pietatem, reuerentiam et gratissimum propter beneficia accepta animum, erga eum cui traduntur. Quem  
autem



the scale towards document